



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 26. Epistola Papæ ad Fridericum Saxoniæ Electorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

Sacrl. XVI
A.C. 1522.

mini milletimum quingentesimum vigesimum sextum rejicunt. Hic non raro Christianos Principes incitabat, ut unitis cum eo viribus bellum Turcis inferrent, qua armorum societate facile Rhodi Insulæ expugnatio præpedita fuisset, eo potissimum nomine, quod Solimanus ejus potentiam veritus, splendidissimam ad eum legationem cum muneribus amplissimis misisset, ac universam eam Regionem, quæ Euphrati adjacet, quiete ac pacifice possidendam obtulisset, modo ipsi bellum adversus Christianos gerenti nullum negotium facessiceret. Reliquis ex duabus conjugibus quatuor filios, quorum natu major Tachmasus ætate tunc annorum duodecim, Patri in Imperio successit.

§. XXVI.

Epistola Papæ ad Fridericum Saxonicæ Electorem.

Sleid. in com. **I**nterea cum Lutheri secta magis magisque invalesceret, non pauci **Sax. 3. p. 85.** **Labb. Cenc.** **C**erdotes ac Religiosi propudioso **20. XI. p. 402.** **I**stadii exemplo animati desertis instituti sui legibus, votisque violatis sacrilegas inibant nuptias, palamque Lutheri errores profitebantur. His igitur morum corruptelis Adrianus Papa vehementer commotus, tantumque licentiam cohibere

hibere intentus, ad Fridericum Electo-
rem literas perscripsit his verbis con- Accul. XVI.
A.C. 1522.
ceptas.

Gratum equidem mihi accidit, cum de
Conventu Norimbergensi ad finem hujus anni
celebrando audirem, gratissimum vero,
cum te ipsum eo quoque venturum acciperem;
spes enim mihi magna est, aliquid ibi
decretum iri, quod ad Republicæ salutem ac
dignitatem Religionis pertineat: hanc etiam
ob causam de consilio Senatus Cardinalium
legationem in Germaniam decrevi, volui
autem interea dum Legatus ille ad viam se
pararet, Hieronymum Rorarium unum ex
meis Cubiculariis præmittere, cui etiam man-
davi, ut te, quem valde semper dilexi, a-
deat, meumque erga Christianam Rempubli-
cam studium, ac voluntatem exponat, quem-
admodum ex eodem, qui subsequetur, Lega-
to copiosius es auditurus: hortor autem te
ac peto, ut tu quoque, cum sis Imperii Frin-
ceps, cuius quidem in Imperii tutela versa-
tur Ecclesia Romana, diligenter adlabores,
ac in medium ea consulas, quæ ad dignita-
tem Ecclesie Apostolicæ, & ad publicam
tranquillitatem pertinebunt, in eoque Major-
rum tuorum vestigia sequareis: & quoniam
in ceteris ab ipsorum virtute non degenera-
sti, hinc spero, quod ne hic quidem tui dissi-
milis sis futurus. Hieronymo etiam in
mandatis dedi, ut de his rebus tecum loqua-
tur,

Hist. Eccles. Tom. XXXIV.

Q tur,

Ecccl. XVI tur, cui & fidem haberi peto. Hæc epistola data est die quinta Octobris.
A.C. 1522

§. XXVII.

Norimbergensia Imperii comitia.

Raynald. ad hunc ann. n. 20. **D**ie vigesima sexta Novembribus Ferdinandus, qui Caroli V. tum in Hispania agentis frater Imperii clavum moderabatur, edictum promulgavit adversus omnes, qui legibus Ecclesiæ morem gerere recusarent, vel ab ejus doctrina recederent, promissis etiam per præconem præmiis, quæ ejusmodi criminis reos manifestanti darentur. Petebat hoc edictum præcipue Lutherum, ac ex sententia Principum ferebatur, qui in Norimbergensibus Comitiis ad finem Novembribus indictis Praefide Ferdinandio Austriaco convenerant, ubi præcipue duos articulos definiti moliebantur, quorum primus erat, ut de mediis Hungariæ Regnum ab impendente Turcarum insultu tuendi ageretur. Secundus autem eo tendebat, ut Lutheri hæresis reprimeretur; verum magis erat expedita mediorum consultatio, quam eorum executio.

§. XXVIII.